

JOSEPHUS

FRATRES AGNOSCENS.

T R A G O E D I A.

A C T A

LUDIS SOLENNIBUS

IN REGIO

LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
apud Patres Societatis JESU.

*Auctore GABRIELE FRANCISCO LE JAY,
ejusdem Societatis Sacerdote.*



P A R I S I I S ,

Apud Viduam SIMONIS BENARD , viâ Jacobæa ,
è regione Ludovici Magni .

M. D C. X C V .

C U M P E R M I S S U .





ILLUSTRISSIMO VIRO
HENRICO FEYDEAU
IN SUPREMA
INQUISITIONUM
CURIA
PRÆSIDI INTEGERRIMO.



*ON ERIT, opinor,
PRÆSES ILLUSTRISSIME,
qui miretur, nomen hic tuum
à me præfigi, qui prater te
neminem habeam, nec san-*

*



EPISTOLA.

guinis , nec amicitiae necessitu-
dine conjunctiorem : quod u-
trumque , quanti ducendum
putem , & scis ipse , & cer-
tiori testimonio probatum ve-
lim. Quanquam videri pos-
sim tibi forte confidentior , ca-
terisque adeò qui te noverint
lepidis pro more salibus in-
dulgentem , nec mibi , nec
ipsi JOSEPHO pepercisse ,
qui si austerioris theatri legibus
accommmodari feliciter historia
eiusmodi non posset.

EPISTOLA.

Tamen nihil vereor jam provocare ad te ipsum ; & quam reliquis in rebus tanta cum integritatis laude & sapientiae famâ equitatem impertis, eandem Dramati qualicumque nostro postulare. Evidem memini non improbatum tibi, dum ageretur in Scena : at non erat integrum parenti optimo iis Actoribus non plaudere , quos inter HENRICUS ille tuus Regias partes nec ignobiliter sustinebat.

EPISTOLA.

Ut ut est : de JOSEPHO
nostro quocumque judicium
feras , PRÆSES ILLUSTRIS-
SIME, hoc ero contentus satis,
si vel hoc levi observantiae &
amoris erga te mei pignore
existimari possim.

Devotissimus tibi , GABRIEL
FRANCISCUS LE JAY,
& Societate JESU.



P R A E F A T I O.

SUNT hâc ætate nostrâ non pauci qui stare bellè Tragœdiam posse non putant , nisi suum à Fabulâ historiisve profanis argumentum , venustatem à mollibus Amorum illecebris totam habeat : adeoque Tragœdias in Collegiis agi solitas idcirco aspernantur , quod illæ vel carcent Amore tenero , vel argumentum Sacris Litteris aut Christianis Annalibus plerumque acceptum debeant .

Horum ego si servire studiis voluissem , non jam obsequerer
á ij

P R A E F A T I O.

amicorum consiliis , qui creden-
dam luci censuere *Joséphi Fratres*
agnoscēntis Tragœdiām actam
nuper in Scena , non infelici ,
ut aiebant , exitu , nec sine piis
spectatorum lacrymis.

At quoniam vidi vix ullo
niti fundamento qui jactitant ,
rejiciendas à Theatro sacras
historias , nec profanas etiam
placere , nisi amoris mutui spe
intricatam habeant fabulam ;
putavi errorem illum evelli ex
animis posse : præsertim ex quo
viam sternere visus est Tragico-
rum apud nos Poëtarum nobi-
lissimus , qui Dramata duo , quæ
postrema omnium edidit , & à
Literis Sacris mutuatus est , &
amatoriis omnino spoliavit orna-
mentis.

P R A E F A T I O.

E quidem scio quid objiciant statim amatoriæ fabulæ acres illi fautores. Hunc ipsum, quem laudavi modo, proferunt, reliquosque adeò temporum nostrorum probatissimos Poëtas, qui potiores in scribendis Tragœdiis, aut aliquas saltem Amasiorum partes esse voluerunt: quasi Amorem præter, tragicum nihil agnoscerent.

Tamen nihil ejusmodi novimus factitatum, neque à Sophocle, neque ab Euripide, quos primos Tragœdiæ parentes tam vetus quam recens ætas agnoscit. Imo Sophoclis Ajacem, Oedipum, Antigonem: Euripidis Iphigeniam, Tragœdias, ut reliquas omittam, uno omnium

Tragicis
Legibus
Amorem
vix accē
medans.

ā ij

P R A E F A T I O.

ore celebratas qui legerit, is fateri cogatur Poëtas illos veteres in tractandis universis penè affectibus ita fuisse versatos, ut Amorem unum mollem intatum reliquerint; sive nihil deprehenderent in illo motu animi quod saperet majestatem heroicam, sive in reliquis pleniorum quandam uberioremque tragicæ laudis inesse materiem arbitrarentur.

Quod si à Poëtis Græcis ad Latinos veniamus, occurret Seneca: quem et si tanquam absolutum aliquod Dramaticæ artis exemplar non propono, nemo tamen æquus rerum æstimator negaverit, scripsisse eum plurima, quæ si è severioribus Thea-

P R A E F A T I O.

tri regulis paulisper immutentur, non ultimum inter nobilissimas Tragœdias habere locum possint. At quasnam ille Amori, quem rejicimus mandavit partes tot inter eximia Dramata, quæ pene integra nostrates Poëtæ suos in usus exscripserunt? Video pertractatam ab eo diligenter in Thebaïde Iram nobilem, generosam in Thyeste Vindictam, heroicum in Troade Dolorem, ferocem in Medea Zelotypiam, rigidam in Agamemnione Ambitionem: alatum ubique molli de amore silentium, præterquam in Hippolyto, cuius desiderio dum succensam Phædram exhibit Poëta, tam modestè id facit tam vere.

P R A E F A T I O.

cundè, ut non suâ sponte, sed argumenti quod tractabat, necessitate coactus huc descendisse videatur.

At quid de ipsis Poëtis recentioribus dicemus? Quid de magno illo Cornelio, quem detritæ jam diu ac corruptæ Tragœdiæ restitutorem Gallia nostra veneratur? Is enim quanquam Episodia quædam amatoria, plerisque Dramatum inferuit: Amoris ne, an cæterorum potius affectuum tractatione ad eos, quos confecutus est, plausus pervenit? Quas illustriores usquam in Scena Fæminarum personas adhibuit, quam vel Corneliae in Pompeio, vel Cleopatræ sua in Rodoguna; quarum

P R A E F A T I O.

altera Vindictam, Ambitionem
altera, alienissimos ab amore
tenero motus præse ferunt?

Jam verò in ipsis Amantum personis quas elucubravit accuratius, quid ita demulcet ac pellicit animos, uti vel Phocas in Heraclio, dum geminos inter Principes, qui ambo ipsum dedignantur Patrem, Filium ab Extraneo nequit agnoscere; vel Nicomedes in Tragœdia ejusdem nominis, quem inimicorum furor extrema quæque minitantium non commovet? Est aliqua uspiam Scena aut illustrior aut admirabilior, quam quæ Augustum de abdicando imperio deliberantem in Cinnæ fabula, vel Pompeium

P R A E F A T I O.

ac Sertorium , in Sertoriano dra-
mate colloquentes inducit ?

Illum verò qui in exhibendis
Amantūm personis placere vi-
sus est præter cæteros & felicius
etiam processisse, tanti non face-
rem , nisi amatoriis Scenis alias
multò pulchriores Tragica ipsius
opera sufficerent. Ego certè An-
dromachen infortunatam , Hec-
toris sui desiderio nunc suspiran-
tem, modo periclitantis Astyana-
ctis metu ingemiscerent , mox
utriusque vindicandi studio in-
flammata , fastidiosis Hermio-
nes vel Orestis næniis prætule-
rim. Confectum curis ac mœ-
rore Agamemnonem , dum fi-
liam immolare cogitur , lamen-
tantem ac desperantem Clytem-

P R A E F A T I O.

nestram , cuius è sinu abripitur
Iphigenia ; Iphigeniam ipsam
inter parentum lacrymas pro
communi bono devoventem se
se , & ultra fortem ætatis ac se-
xus fortem ac constantem, má-
gnis Theatra plausibus excepe-
runt : Achillem maluissent impi-
grum , iracundum , ferocem ,
quam amatorem. Invictum ac-
cisis in rebus Pori animum , di-
gnam victore ipso majestateim
nemo non suspexit : indolentem
præter modum amore Arianes
Alexandrum vidimus qui minus
approbarent.

Jam si quæritur proprius Tra-
goediæ finis , cuius est miseri-
cordiam & metum in spectato-
rum animis excitare : liquet

F R A E F A T I O.

quam parum insit in Amore tenero roboris ad ejusmodi motus commovendos.

Exhibetur in Scena vir Princps, quem Patriæ caritas, studium Libertatis, Propinquitatis aut Amicitiæ jura, Fides, Religio in extremum fortunarum ac capitis discrimen adduxere; commovetur statim spectatoris animus, & innato piæ voluntatis sensu talem in virum ultro propendet. Eundem si senserit ad graviores devenisse angustias, Amori indulgentem mollius, aut indignabitur tam ignavum ac socordem heroa repræsentari, aut certè redactam ad Socum Tragœdiam irridebit. Nam quis ferat Alexandrum, Mi-

P R A E F A T I O.

thridatem , Pompeium , & alios
ejusmodi viros , à quibus nihil
nisi grande atque heroicum ex-
pectes , in Pamphilos , Clinias ,
& Clitiphones repente commu-
tatos ?

Hinc etiam facile quivis in-
telligat , quām parum aptus hic
Amor ad incutiendum animis
metum , qui Tragœdiæ alter
scopus est . Id certe multò bre-
vius feliciusque confecerit , qui
Tyranni impotentis furias , qui
Odium , Iram , Vindictam , Am-
bitionem , Invidiam , & alios
vehementiores animi motus in
Scenam protulerit .

Nunc eximendus & eorum
scrupulus qui depromptam è
Sacris Literis vel Christianis

Sacris
eventus
Theatro
posse ac-
commodari.

P R A E F A T I O.

Annalibus historiam nolunt in
Theatrum dari.

Enimverò quid habet Christiana vel Judaïca magnanimitas quod vel Græcæ vel Romanæ fortitudini cedat ? Commoverbit nimirum ad misericordiam sui junior Manlius , quem rigidus plus æquo disciplinæ militaris observator pater etiam viçoreni obtruncat : duros interim ac ferreos spectatores inventiet Hermenegildus , cuius eximia in tuenda Christi fide constantia patrem amantissimum mutavit in tortorem ? Exprimet tibi Iphigenia lacrymas , dum incertis Oraculorum vocibus obsecuta morti ultro se devovet ; Saffannam imperatoriæ dignitatis

P R A E F A T I O.

insignia conculcantem, & Virginitatis ac Religionis studio ad supplicium properantem siccis oculis aspicies ? Augusto nullus in Theatro non applausit dum Cinnæ cæterisque adeo conjurantibus in caput suum condonat inimicitias : parem , imo illustriorem Josephi in fratres suos magnanimitatem fastidiosa respueret multitudo , si dignitati talis argumenti par in scriptore nobilitas responderet ?

Sed non convenit , inquies , Sacrorum Annalium majestati cum illis Poëtarum figmentis , quibus quasi totidem luminibus Actio Dramatica illustratur. Sit illud sanè : numquid mirabiles fatis eventus Historia Sacra non sup-

P R A E F A T I O.

ditat ex sese , ut fabulosis inventis facile careat ? Quanquam cur in ipsis etiam quæ ex sanctioribus monumentis decerpta sunt Tragœdiarum argumentis , quoquo modo adornandi facultas adimatur ? Si modo nihil affinxeris , quod veritatem sacram impugnet aut labefactet , non video cur tam in sacris quam in profanis æqua Poëtrum inventioni potestas non relinquatur ?

Saltem heroa sacrum non decet illis obnoxium repræsentari cupiditatibus , quæ dum profanis heroibus impunè permittuntur , miram afferunt Tragœdiæ venustatem . Dum molles amatoriosque sensus exemeris , quos Heroi turpe

P R A E F A T I O.

turpe est affingere , seu profanos ille mores seu sacros collat ; non peccabis contra debitam Religioni reverentiam , si quem ejusmodi variis animi motibus conflictatum exhibeas.

Hominem effinge , ut voles , odio concitatum , vindictæ appetentem , gloriæ & honoris studio stimulatum : illum nobilissima quæque meditantem ac mollientem retineant ac morentur afflictæ conjugis orbitas , sobolis amor , labantis ac ruentis casu suo domus commiseratio : scrupulum etiam injiciant ratio desertæ propinquitatis , amicitiæ jura , fides legitimo Principi mancipata ; non elevabis vel sic neque imminues Religionis ma-

é

P R A E F A T I O.

jestatem, sed extolles & augebis.
Quid enim ad ipsius commendationem potest esse illustrius ,
quàm si tales viros ostentare pos-
fit , qui inter varias affectuum
omnis generis obluctantium mo-
rastotos se , & quod erat ipsis in
vita carissimum , Religioni im-
molare non dubitent.

Atque utinam qui profanas
amatoriaſque historias tractasse
feliciter sibi gratulantur , suam
in adumbrando heroë sacro in-
dustriam collocatam vellent !
Haberent illi profeſto dignio-
rem laboris sui materiem & fru-
ctus etiam quantumvis diffidant,
überiores ! Erunt certò futuris
deinceps ætatibus Polyeuctus ,
Eſther, Athalia, perenne monu-

P R A E F A T I O.

mentum , quanta cum laude per-
sonæ sacræ locum habere in Tra-
gœdia possint.

Evulsiis , ut nobis quidem vi-
detur , tam inanibus præjudiciis ,
restat ut de ipsius , quam edi-
mus , Tragœdiæ argumento , et-
si notissimum est , pauca præ-
mittamus .

Venditus , Fratrum invidia Jo-
sephus in Ægyptum venerat . In-
terim Pharaō turbatur somniis ,
quæ dum solers interpretatur Jo-
sephus , ex felici augure factus
est regni totius administer . Cum
fertilitatem sterilitas subseque-
retur , quod utrumque ille præ-
dixerat ; qui Chananaëam in-
colebant Josephi fratres coa-
cti fame venere in Ægyptum .

é ij

P R A E F A T I O.

Cognovit statim fratres suos Josephus ipse non cognitus : at re dissimulatâ, dum Benjaminum fratrem natu minimum adducerent, agnovit demum, & veteres oblitus injurias cunctos excepit Ægypto ac commode locavit.

Quæ sufficit huic Tragœdiæ argumentum Josephi fratres agnoscentis historia, non est ejusmodi, ut tanquam unius tantum hominis aut etiam familiæ negotium spectari debeat. È re veluti præparare visus est Deus eventus illos mirabiles, quibus ab Ægypto in alias terras toti quem elegerat populo aditum aperiret.

Hinc divino afflatus numine eventura olim Josephus jam

P R A E F A T I O.

præsentisicit, & se non tam stabiliendæ in Ægypto gentis suæ, quam propagandi in aliena terra divini imperii cupidum exhibet.

Etsi autem de Ægyptiorum in Josephum invidia nihil aper-tum Historia Sacra loquitur: ta-men subsecutæ populi hujus sus-piciones atque odia id satis in-nuunt: quæ si desint, suffice-ret vel ipsum peregrini & ad-venæ nomen.

Ramesses verò apud Pharaonem Pincernis præpositus, qui instaurandum se brevi in gra-dum pristinum, olim dum esset in vinculis, à Josepho didicerat, eidem Josepho in arcanis omni-bus conscius non temerè fin-

P R A E F A T I O.

gitur , cum in eam sententiam
ipſi Sacrarum Literarum Inter-
pretes ierint.

Porro quam referant bellè ma-
gnanimitatem heroicam , quām
varios & moratos rectè sensus
præbeant , quæ sacris è Codici-
bus erui possunt Tragœdiarum
argumenta , licebit vel ex hac
una Josephi historia facere con-
jecturam.

Hinc enim ostentat in Josepho
Heroëm nullis adversi fati casi-
bus fractum : quem nec ini-
qua fuorum odia , nec acerba
paratæ quondam mortis recor-
datio , nec fastidiosa plerum-
que sublimioris fortunæ gloria
prohibent , quin hominum ge-
nus ignobile & Ægyptiis invisum

P R A E F A T I O.

pro suis agnoscat , & acceptas
olim injurias ultrò condonet..

Inde afflictam exhibit in Ben-
jamo innocentiam , sed erec-
tam tamen , & præter sortem
ætatis animosam & constantem.

Jam in reliquis Josephi fratri-
bus justus admissi in fratrem sce-
leris pudor ac dolor seprodit ,
& in sincera Josephi probitate
certa quædam fiducia.

Habes in Pharaone Virum Prin-
cipem non elatum rebus prospe-
ris, ut Proregem , cuius solertia
fluunt ad votum omnia , parum
memor aut gratus despiciat : non
suspicacem aut credulum præter
modum, ut incertis rumoribus
statim adjiciat fidem : non cap-
tum mollibus adulantis Aulæ le-

P R A E F A T I O.

nociniis ut oppressæ per malas artes innocentiaz opitulari negligat.

Dum prælatum sibi in rebus administrandis Josephum ini- quius patitur Amasis, suam homini peregrino quem destinarat perdere, salutem ac fortunam debere cogitur.

Denique Ramesses docet non esse certiorem aut diurnam magis amicitiam, quam quæ simili infelicitate parta sit.

Atque in illa Personarum varietate tanta, quantam Actores hujus Dramatis suppeditant, non potest non esse locus ingens & tractandis affectibus nobilissimis, & moribus, quod in omni Fabula præcipuum est,

P R A E F A T I O.

est , diligenter erudiendis.

Felicem me ! hunc si laboris
mei fructum habere possim ;
ut , qui in scribendis Tragœ-
diis primas tenent , amatoriis
Episodiis velint abstinere , &
suam in re sacra industriam
interdum experiri.





ACTORES.

JOSEPHUS { Aegypti Prorex , Jacobi
 ex Rachele Filius.
BENJAMINUS { Josephi ex Jacobo & Ra-
 chele Frater.

Josephi ex Jacobo Fratres.

RUBENUS { Servator Josephi , & Ben-
 jamini Defensor.
SIMEON { Obses pro Benjamini
 adventu.
JUDAS { Sponsor pro Benjamini
 reditu.

CÆTERORUM. EX JACOBO. FRATRUM TURBA.

PHARAO { Rex Aegypti.

AMASIS { Regii Palatii Magister.

RAMESSES { Josephi Amicus , & in-
 vinculis olim Socius.

MILITE S.

SCENA MEMPHI IN PALATIO PHARAONIS.





M. Corneille in. Ego sum: Joseph. Gen. 45. Mariette f.



ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

JOSEPHUS, RAMSESSES.

RAMSESSES.

QUÆ te in latebris tandiu incertum tenent
Agitantque curæ : geminus effluxit dies
Ex quo alloquendi capto sollicitus locum ,
Tuoque vix dum perfui aspectu licet.
Quid esse dicam ? Tene sic totum occupet
Jam Benjaminus , nullus ut amicis locus
Deinceps supersit ?

JOSEPHUS.

Parce ; quid miserum asperas ?
Miserefce potius , & meam mēcum dole
Amice , sortem,



A

R A M E S S E S.

Sortis adversas vices

Josephus inter fratris amplexus dolet?

J O S E P H U S.

Ah! quanta luctus inde nascatur seges
 Nescis, Ramesse.... Sed quid ulterius moror.
 Animi recessus ultro & arcanos sinus
 Recludere? Ex quo vincla nos eadem pari
 Junxere fato, quidquid abstrusum hic fuit,
 Volui tibi patere: tu seriem asperam
 Solus malorum nosse: tu spes & metus,
 Ac, si quid animus rite prævidit boni,
 Rescire: latebris mox ubi per te erutus
 Meliora sensi fata, quæ licuit, memor
 Pensavi amica munus acceptum fide,

R A M E S S E S.

Quin-me nocentem potius & iniquum arguis?
 Hæc probra merui fateor, heu! qui te nimis
 Obliviosus carceris longo situ
 Marcentem, & ægra mole depresso tuli.

J O S E P H U S.

Cur ista memoras? ne tuam culpes fidem:
 Impensa abunde est; si quid injectum est moræ,

Ille , ille cœli rector , & mundi arbiter ,
 Qui librat æquis cuncta momentis Deus ,
 Mea staret illo voluit ut pretio salus.

Quanquam quid istis tempus incassum tero ?
 Res instat alia ; disce jam ut dolor & metus
 Amorque , varias pectus in partes trahant !
 Meministi , Amice , fratriis aspectus mihi
 Quanto cupitus ambitu , quanto datus ?

R A M E S S E S .

Audita cœlo vota : jam fratrem tenes :
 Hoc fruere longum : fratriis in gremio licet
 Explere amorem .

J O S E P H U S :

Quid ais ? infelix amor !

Utinam , Rameſſe , liceat ! in fratriis sinum
 Vix irtruebam , & prima tentabam oscula
 Præripere : subito pueri ad aspectum incipit
 Trepidare pectus : vocis officium negat
 Torpensque medios lingua destituit sonos :
 Moventur intus viscera : injussi cadunt
 Per ora fletus , meque , ni facerem modum
 Protinus amori , prodere invitum parant.
 Avellor : heu ! vis dura ! .. Vidisti hunc satis ?

A ij

Eloquere : quantus frontis ingenuæ pudor !
 Quis fulgor oculis ! ut decens toto nitet ,
 Spiratque in ore gratia , in verbis lepos !
 Ah ! Benjaminus frater ut non sit , tamen ,
 Nec amare puerum non queam : quanquam
 est mihi

Etiam carendum hoc fratre : properato est opus ,
 Graviora patior : patrias cuncti ocyus
 Cedant in oras , provide.

R A M E S S E S .

Hoc animo sedet ?
 Et Benjamo dicis extremum vale ?

J O S E P H U S .

Ah ! ne cruentam jam fatis plagam aspera ;
 Amice , iussa perage.

R A M E S S E S .

Cur placito juvat .
 Pugnare amori ? Pande nunc rerum abditam
 Seriem ; tuique tandem fati inscios
 Agnosce fratres .

J O S E P H U S .

Quod mones utinam exequi
 Liceat , vel istis esse consiliis modus ,
 Aditusve possit !

5
R A M E S S E S.

Quæ mora anticipitem tenet ?
J O S E P H U S.

Quæ tenuit usque : lubricus Regis favor :
Invidia Procerum : suspicax populi metus :
Exosa Memphis exteros , ex quo undique
Jam sacerdientem sola non sentit famam.
Proin fluctuanti parce spes animo irritas
Injicere. Sortis cumulus hic demum asperæ
Restabat unus ! Quisquis est tamen hunc feram
Majora didici ferre : tu si nos amas
Ne Benjaminus subeat aspectum cave.

R A M E S S E S.

Parebo : prius at pauca dicentem precor
Benignus audi.

J O S E P H U S.

Fare.

R A M E S S E S.

Non equidem velim
Quidquam augurari triste : sed puero nihil
Censes timendum , quem tuus reliquos super
Natos , amare blandius fertur parens ?
Qui proprius epulas inter assidens tibi

'Opima per te fercula ante alios tulit ?

J O S E P H U S.

Nam quo ista tendunt ?

R A M E S S E S.

Proprio expertus malo es ,

Quid cœca fratribum invidia, quid demens furor
Odiumve possit.

J O S E P H U S.

Heu ! Quibus miserum incitas
Stimulis amorem ! Rursus in fratrem audeant
Peccare ? Quanquam , pone sollicitos metus
Funestum & omen : potius hæc tecum memor
Animo revolve , sceleris ut puduit sui ,
Miserasque flerunt fratrii amissi vices ;
Cùm suspicari visus hostiles dolos ,
Immerita in omnes durus ingeterem probra.

Has ipse , taciti voce quas patria dabant
Hausi querelas. *Ultor est cælo Deus ,*
Fratres , nec ista patimur insontes mala
Quos immerentem cœcus in fratrem furor
Egit nocentes : nulla quos pietas , preces ,
Nec deprecantis ullus inflexit dolor.

Tamen , heu ! Ramesse , quos sibi fingit metus

Aniūus amantis ! haud mihi si fas foret
Puerum avocari paterer.

R A M E S S E S.

Inveni modum ,

Prorex : latebis , & tuo dabitur frui
Tibi Benjamo.

J O S E P H U S.

Quid ais ? hoc facies ? fidem
Præstabis ? Ah ! si.....

R A M E S S E S.

Tu modo factum approba,
Et innocentem patere quem meditor dolum.

J O S E P H U S.

Age ergo.

R A M E S S E S.

Saccum singuli secum auferunt
Refertum opima fruge : qui minimo obtigit ,
In ore facci dexter abscondam scyphum :
Quo, dum futura certus interpres canis ,
Solennia inter sacra libare assoles.
Vix urbe fratrum turba protulerit gradum ,
Patriamque reperat læta , confestim insequar :
Proculque fœdi sceleris inclamans reos ,

A iiiij

Sistam fugaces. Facinus indignum abnuent :
 At Benjamini positus in sacco scyphus
 Factum revincet : interim reliquos patri
 Natos remittes : minimus ut furtum expiet,
 Servum tenebis.

J O S E P H U S.

Cuncta moderare ut lubet ,
 Nil moror , Amice : me tibi totum & meos
 Permitto amores. Ocyus fratres mone
 Omnes ut adsint : liberam abeundi moram
 Duin facio , tu rem confice.

S C E N A S E C U N D A.

J O S E P H U S.

Abrahamidum Deus :
 Qui me beato patriæ avulsum sinu
 Per tot labores , per tot ancipites vias
 Terris dedisti grande peregrinis decus :
 Ritus profanos inter & inanes Deum
 Larvas , quibus plebs credula & ficti tenax
 Nil profuturis obsequi studiis amat ,

Meliora tibi si sacra persolvi placet ;
 Adesto cœptis , & piam fraudem adjuva.
 Si frater ipsa luce dilectus magis
 Mihi paratur , hinc tibi cultor novus
 Exsurget. Utinam lata posteritas ear
 Olim in nepotes , unicum qui te Deum
 Toti & tremendum numen Ægypto colant !

SCENA TERTIA.

JOSEPHUS, RUBENUS, JUDAS,
 SIMEON, BENJAMINUS, LEVI,
 ISSACHAR, ZABULON, DAN,
 NEPHTALI, GAD, ASER.

JOSEPHUS.

SPECTATA toti patuit Ægypto fides ,
 Dilecta cœlo capita : jam patrios licet
 Repetere fines : ite , quas ultro dedit
 Volensque vobis Pharao Niliacas opes
 Auferte. Si quid contigit durum pati ,
 Vesterque si quem fecit accessus metum ,
 Æqui bonique ducite: Ægypti salus ,

Et læta regni fata moliri hæc jubent.
 Nunc quando virtus nota , consumptis cibis
 Nostram licebit rebus angustis fidem
 Probare : moneo rursus in quinos fames
 Durabit annos.

R U B E N U S.

Quas tibi meritis pares
 Grates feremus ?

J U D A S.

Providam Aegyptus memor
 Altique mentem consilî cœlo ferat ,
 Quæ sola per te fertili gaudet solo.
 At terra Chanaan , cuius in gremium bonus
 Opes refundis , usque munificam manum
 Celebrabit.

L E V I.

Hic tu publicæ æternum audies
 Vindex salutis.

I S S A C H A R.

Nam quis , infelix seges
 Per arva latè cuncta dum victum negat ,
 Illum tacebit ; qui famem diram amovet
 Nostri misertus :

Z A B U L O N.

Quandiu Isacidum genus
 Stabit superstes, tota postcritas memor
 Tuum usque recolet nomen.

D A N.

O quales dabit
 Tuum ore populi nomen iteratum sonos!

N E P H T A L I.

O ter beatum nomen! Hoc pecudes agens
 Mox pastor omnis fistula nomen canet.

G A D.

Hoc ripa discet omnis, hoc rupes cava
 Et pulsa circum nemora, vallesque & lacus
 Nomen remittent.

A S E R.

Gaudii causam novi
 Si quis laboret nosse, responsum hoc feret.
Quem canimus, ille fecit arumnis modum.

S I M E O N.

Me servitutis pigeat haud unquam mea:
 Quin & beatos inter ascribam dies,
 Quos te jubente, fratrum ut affererem fidem,
 Captivus egi.

B E N J A M I N U S.

Num mihi & sensus palam
 Efferre per te liceat ? Ah ! si quas iit ,
 Magnanime Prorex, justus in lacrymas dolor ,
 Cum me senili genitor ereptum sinu ,
 Invitus istas ingredi jussit plagas :
 Quantum repensem est ! Vidiimus toti caput
 Orbi verendum ; vidiimus per quem stetit
 Per quem & redempta Patriæ stabit salus .

J O S E P H U S .

I , cara soboles ; repeate complexus patris
 Tristesque luctus sospes aspectu leva .

S C E N A Q U A R T A .

J O S E P H U S , R A M E S S E S ,
 F R A T R U M T U R B A .

R A M E S S E S .

P E R A C T A , Prorex , jussit .

J O S E P H U S .

Provisum est satis ,

Ne longiori deforet quidquam viæ ?

R A M E S S E S.

Feci obsecutus cuncta.

J O S E P H U S.

Nil ego vos moror ,

Properate ; vester adsit è cælo Deus ,

Totamque sobolem reddat incolumem patri !

R U B E N U S.

Et ille , justas si preces audit Deus ,

Quas tanta pietas meruit , exolvat vices !

J U D A S.

Deus ille , decora quæ sacrum Pharaon in caput

Congessit , aliis cumulet !

S I M E O N.

Et longos dies

Addat !

L E V I.

Serenos atque tranquillos dies ,

Quos nullus angat , nullus obscureret dolor !

I S S A C H A R.

Te , te ille faciat prole multiplici patrem ,

Et avo nepotes aggeret seros Deus !

B E N J A M I N U S.

Et ille votis cumulus accedat , precor ;

Ne lucis ante munus creptum querar,
Quam rursum amico detur aspectu frui!

SCENA QUINTA.

J O S E P H U S , R A M E S S E S .

J O S E P H U S .

Quid me jubes sperare? vel qualem, obsecro,
Pia fraus amantis exitum tandem feret?

R A M E S S E S .

Confide, Prorex; ritè provisum est tuo
Deinceps amori. Conditus medio latet
In Benamini mysticus facco scyphus.

J O S E P H U S .

Nunc ergo meus es! nemo te eripiet mihi
Dilecte frater! Crescit impatiens amor,
Metamque quanto propior optatam tenet,
Tanto invalescit major.

R A M E S S E S .

Actutum nihil,
Tua quo ferantur vota restabit super.

J O S E P H U S.

Utinam, Ramesse ! sed age, quod reliquum est,
 precor ,
Absolve ; Fratres urbe digressi ocyus
Campos tenebunt , sequere : fugientes preme ;
Et Benjaminum , quem reum furti scyphus
Palam arguet , mihi siste.

R A M E S S E S.

Mandata exequor.

Finis Actus primi.



ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PHARAO, AMASIS,

MILITES.

PHARAO.

AB SISTE, frustra es, Amasi; quid inanem objicis
Rumoris auram? Sentio qualem sibi
Paucorum haberi postulat livor fidem.

AMASIS.

Livoris animo suspicax absit metus,
Invicte Princeps; quod loquor facinus palam est.
Vidit superbas extrui indignans dapes,
Nec tacuit Aula: vedit ignotum genus
Tetroque nuper carceris clausum specu,
Fas omne præter, regio cultu excipi.
Quin ipse medios inter accumbens, nihil
Erubuit unâ capere Josephus cibos.

Quid

.

P H A R A O.

Quid ista memoras ? Ergo suspectum , reor ,
 Hunc , Amasi , facies , cuius in dubiis fides
 Spectata rebus ? cui , malis præsentibus
 Servata , partam retulit Ægyptus memor
 Felicitatem ? Plura nè incassum adjice :
 Quidquid reponas sceleris insontem mihi
 Fidum & ministrum cuncta Josephum occidunt.

A M A S I S.

Quid mens futuri præscia atque animus sagax
 Præstiterit ultro fateor ; haud laudem viro
 Detrahere meritam , facere vel dubiam fidem
 Est animus : at si pauca

P H A R A O.

Nil opus est ; scio

Proceres quid angat : exterus regno præst
 Minister uno Rege Josephus minor :
 Alienam nam quid fingis ? Hoc illis dolet :
 Caput hoc malorum : nil tamen facti piget ,
 Nec me pigebit , Amasi , dum tali auspice
 Optata toti surget Ægypto salus.

A M A S I S.

Quemcumque nostro vertici impositum velis

B

Feremus ultro : nemo Regnantum audeat
 Damnare facta : quisquis hic fuerit tamen ,
 Si quidquam ab alto, māgne Rex, peccet loco,
 Consulere nostrum est.

P H A R A O.

Hanc mihi totam , obsecro ,
 Permitte curam : nota Josephi indeoles ,
 Et notus animus.

A M A S I S..

Nil quidem contra obloqui
 Ausim : sed unde , si tamen pateris , rogem
 Tam catus ille , cuius ignotum genus ,
 Incerta patria , stirpis auctores latent?
 His profugus olim forte confliterat plagis :
 Mox in latebras carceris cœci abditus
 Latuit pudendæ sortis expectans vices.
 Emersus inde , & supra deinceps nihil
 Nisi sceptrra liquit . Dii , precor , nunquam Imperi
 Olim in ruinam tantus evadat favor !
 Oracula sedenim multa Niliacis procul
 Arcere terris hospitem externum jubent .
 Plebs inde (inanis fuerit hic etiam metus)
 Ex quo superbū fecit hospitium Exteris

Josepus , istum quo stat elatus , locum
Animis apertè visa non æquis pati.

P H A R A O .

Id esse credam ? Quidquid est , jam jam eruam ,
Confide : Miles huc mihi actuum mone
Josephus adsit . Men' pete insidiis rear ,
Spes unde fuerat major ?

A M A S I S .

En infert gradum
Josephus , abeo : melius hæc absque arbitris
Perages .

P H A R A O .

Maneto .

S C E N A S E C U N D A .

P H A R A O , J O S E P H U S , A M A S I S .

M I L I T E S .

P H A R A O .

Quis mihi totâ caler ,
Josephe , in aula rumor ? Aut quid tam tibi
Commune possit esse cum gente extera ,
Ut , ante meritis premere quos visum est modis ,

B ij

Tantus in eosdem post modum erumpat favor ?
 Priora certam merita ni facerent fidem,
 Quid suspicari liceat , ut fileam , vides.

J O S E P H U S.

Quid iniqua possint odia , quas livor furens
 Extundere artes soleat , ut perdat male
 Quotquot nocentes fecit ; hoc magni potens .
 Per te administer Imperi noram satis.

Ast insolentes spreveram invidiae minas
 Principis in umbra tutus. Heu ! quo me impulit
 Spes vana , si me jam reum & sontem arguis !

P H A R A O.

Non ille sontem credit , aut damnat reum ,
 Quemcumque propria judicem in causa facit.
 Age ergo ; falsi quidquid objectum est , leva.

J O S E P H U S.

Non urit animum tanta dominandi fames ;
 Ut , quem obsequendi cupidus ascendi gradum ,
 Illo excidisse verear : at caderem æquius ,
 Fateor , cadendi causa si melior foret.

P H A R A O.

Quid monstra fingis ? Sceleris expertem puto ,
 Iterum iterumque testor ; at quoniam malus

Error per urbem crevit , actutum exime.

J O S E P H U S.

Quando institutæ postulor vitæ modum
 Purgare culpâ , quod jubes ultro exequar ,
 Rex magne. Non me lubricæ fallax nitor.
 Aulæ , negata flexit ad honores via.
 Depressus alto carcere alienum scelus
 Infons luebam viictima , hoc unum ambiens
 Iniqua dum quis vincula eximeret dies.
 Tùm varia tibi se monstra sopito offerunt :
 Heu ! monstra veri nuncia ! Interpres vocor ,
 Accedo. Coram ut astiti & fari datum est ,
 Rem pando : tristes refero portendi minas :
 Tamen haud salutis nulla spes aderat. Jubes
 Ut imminentि promptus occurram malo ,
 Totâque grande nomen Ægypto facis.
 Quos demum in usus , magne Rex , vel quo exitu
 Dum foeda sterilis vastitas squalet soli ,
 Et nulla campis surgit effœtis seges ;
 Tibi redundant plena frumento horrea.
 Jam tota gazas mutat Ægyptus cibis ,
 Ultroque mox subibit , ut vivat , jugum.
 Quin & remotis exteræ gentes plagis ,



Quas dira laribus egit è patriis famis ,
 Properant , tuisque pedibus affundunt opes .
 Quid multa ? vitæ munus , alienis , tuis ,
 Fati arbiter utriusque dispensas : meum
 Hoc porro scelus est : si minus felix fores
 Rex magne , tunc & esse desinerem nocens .

P H A R A O.

Quam lata nobis fata contulerit sagax
 Animus , & alta , quâ vales , prudentia ,
 Josephe , novi : quasque promeruit vices ,
 Gratus rependam . Nunc age illatam tibi
 Labem æmulis refunde , livorem obrue :
 Ipse , ipse mox , qua deceat , ulciscar probrum .

J O S E P H U S.

Non me ultiōnis cœcus instigat furor .
 At si libido pectus infidum mala
 Stimulasset unquam , tempus ah ! tempus fuit ;
 Impunè cladem cùm tibi & regno ultimam
 Parare licuit . Finge me jussum loqui ,
 Tristesque cœli pandere irati minas ,
 Tacuisse : tu jam fata quæ reliquos premunt ;
 Eadem doleres . Nunc ubi cunctos super
 Altum superbo vertice attingis polum ,

Consilia moveam noxia ! Hic in me stupor
Cecidisset !

P H A R A O.

Ah ! ne pluribus certam satis
Fidem approbes, Josephe : nil quidquam amplius
Perquiro.

J O S E P H U S.

Miseros ergo solari nefas,
Quos immerentes suspicax falsò metus
Vexare adegit, ipse ni videar nocens ?

P H A R A O.

Piget ah ! piget, Josephe : tu, si nos amas,
Obliterari, si quid erratum est, sine.
Injuriosos, Amasi, rumores labor
Sit premere, quaque commodum id fiat, simul
Consulite.

S C E N A T E R T I A.

J O S E P H U S , A M A S I S.

A M A S I S.

Nil te pigeat : errorem exuit,
Vir magne, Regis animus & meritam male]

Contaminata veritas reperit fidem.
 Evidem augurabar, vera ubi virtus nitet,
 Quam frustra inanes livor intentet minas.
 Gratare Superis, & tui in partem sine
 Accedat Amasis gaudii.

JOSEPHUS.

Hoc si debuit

Redimere pretio gaudium, satius foret
 Caruisse.

AMASIS.

Mores gentis, aversam indolem,
 Ingenium & aulæ suspicax noris modo,
 Vir magne, quidquid illa jactarit, parum
 Te moveat.

JOSEPHUS.

Est, est, Amasi, spectatum sat
 Quid illa possit: nec mihi pariter latet,
 Haec aula quantam præstet in amicos fidem.

AMASIS.

Quo spectet, aut quem sermo perplexus petat,
 Exutere non est animus: at quo res loco,
 Juvare si quid Amasis obsequio potest,
 Fidum usque pectus, & tibi addictum geru.

JOSEP.

J O S E P H U S.

Permitte mihi met : nil ego alienæ indigens
 Opis ; nec ipsa , cum status rerum exiget ,
 Amasi , silebunt facta .

A M A S I S..

Non equidem ambigam ;

At animus in te noster exquirit locum
 Aditumve , quâ se prodat .

J O S E P H U S.

Hoc unum velim ;

Petamque ; rebus , Amasi , ut attentus tuis ,
 De me quiescas .

A M A S I S.

Méne suspectum æstimas ?

Egive quidquam invitum ? Attestor polum . . .

J O S E P H U S.

Satis superque est : plura scitari abstine :
 Tot , luce in una , solvere ambages piget .

A M A S I S.

Parco molestus esse : Qui profert gradum ;
 Tibi latiorem video conspectum offeret
 Et intulcus * ego sim ?

Appellus

SCENA QUARTA.
J O S E P H U S , R A M E S S E S ,
R A M E S S E S .

Vota cumulavit Deus:
 Et innocentem cœlitus fraudem approbans
 Tibi Benjamini reddit : inventus loco
 Quo positus ante, consciūm furti scyphus
 Revincit : ingens urget attonitos stupor
 Fratres, suumque vix adhuc credunt malum;

J O S E P H U S .

Eheu! Ramesse, quas mihi curas paris!

R A M E S S E S .

Quid quereris?

J O S E P H U S .

Utinam patrio affixus solo
 Caruisset istis Frater æternum plagis!

R A M E S S E S .

Hæc vota facias? Téne jam Fratris piget,
 Quem sic amasti? Nam quid...

J O S E P H U S .

Infelix amor!

Quæ me in pericla mittis!

R A M E S S E S.

An subiti licet

Causam doloris nosse ?

J O S E P H U S.

Suspectam , putes ,

Toti quod Aulæ fecerim ac Regi fidem ;

Dum liberalis videor in fratres nimis ,

Quos ipse , nam me mihi met objiciunt , prius

Tractaram ut hostes.

R A M E S S E S.

Numquid alienos malo

Facinore cunctos vindicas ?

J O S E P H U S.

Feci hoc quidem ?

At quando eosdem noverint furti reos ;

Quis , Amice , Regis sensus aut procerum ?

R A M E S S E S.

Scelus

In Benjamino pleste , servitium imperat :

Sic conticescet livor , & Fratre interim

Potieris.

J O S E P H U S.

Ast hoc nomini hærebit probrum :

Bij

Peregrina quod me turba delusum dedit,

R A M E S S E S.

Dum fertur unus participes facti puer,
Et labo reliquos solvis; in quemvis cadat
Tamen pronus error.

J O S E P H U S.

Major hinc surgit metus.

R A M E S S E S.

Quis ille?

J O S E P H U S.

Ne quid forsan in pueri caput
Statuere Pharao gravius iratus paret,

R A M E S S E S.

Confide melius: judicem causa unicum
Te spectat; aut rem nosse si Pharao velit;
Fratrem tuus praestabit incolumem favor.

J O S E P H U S.

Abscedo; tu res tota quem teneat modum
Scrutare: procerum studia, rumores, fidem;
Et cuncta Regis sedulo dicta excipe.
Ego interim nescire quod gestum rei est,
Simulabo, mihi dum quidpiam certi feras,

Finis Actus secundi.



ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

RUBENUS, JUDAS, SIMEON,
BENJAMINUS.

BENJAMINUS.

Quid vultis ultra? vel quid incallum loquar,
Fratres? Amicam quando juranti fidem
Negatis? Iterum testor æthereas faces,
Imusque cordis qui videt cœlo Deus
Latebras ab alto; sceleris admisi nihil,
Animusque furto purus inflicto vacat.

JUDAS.

Tu scelere purus nempe, dum crimen palam est;
Tuusque raptum saccus effundit scyphum?

BENJAMINUS.

Heu!

R U B E N U S.

Quanta miseros in mala, infelix puer,
Fratres vocasti !

B E N J A M I N U S.

Pone sollicitos metus ,
Rubene : Fratrum salva res ; unum cadit
In Benjaminum facinus ; & si quam Deus
Minatur , in me tota tempestas ruet.

S I M E O N.

At te quis egit in scelus tantum furor ,
Eloquete ? Quo non dira mortales rapis
Auri libido !

B E N J A M I N U S.

Pectus ut avarum fames
Stimularit auri ? Credis hoc de me nefas ,
Dilecte Simeon : hoc mihi verè objicis ?
Non credis , aliud cogitas , aliud dedit
Huc usque vita specimen.

J U D A S.

Ah ! larvam , puer ,
Depone ; fictæ novimus mentis dolos ;
Fucumque deinceps facere nequicquam obsti-
nas :
Fatere crimen.

B E N J A M I N U S.

Sortis ô cumulum asperæ !
 O sæva nimium fata ! Men' duras pati
 Non posse, vel dum pector immeritus, vices ;
 Nisi proditor, perjurus, infamis, nisi
 Abominandæ fraudis incurram probrum ?
 Vos, ah ! per istæc genua quæ teneo, & meis
 Perfundo supplex lacrymis, tales, precor,
 Exuite sensus : quidquid Ægyptus paret,
 Quodcumque misero mortis intentet genus,
 Nil deprecabor : hoc mihi saltem dñe ;
 Ut morte in ipsa, quam peto, inveniam fidem.
 Siletis ! Ecquid hic stupor misero occinit ?
 Et amica, Fratres, ora subtrahitis ? Piget
 Fratrem intueri, sentio, & flecti piget.

R U B E N U S.

Absiste, vincis : namquid ulterius fidem
 Juda, negemus ?

SCENA SECUNDA.

RUBENUS, JUDAS, SIMEON,
BENJAMINUS, RAMESSES.

RAMESSES.

Plectere infontes nefas,
Dum perpetrati conscius sceleris palam est.
Ergo paternos cæteri repeatant lares,
Unum manebit pœna qui reus est.

RUBENUS.

Nec ille, quem tu credis. Reus

RAMESSES.

Hic non est reus,
Qui fraude sacrum pessima rapuit scyphum ?

RUBENUS.

Ah ! cuncta, fateor, ni quid indulges, probant
Puerum nocentem. Probra quot Fratrum tulit,
Dum nimium & ipsi creduli arguimus reum ?
At vita sceleris pura, fucique indoles
Inimica, mores candidi, ingenuo pudor
Natans in ore, certa verborum fides,

Et quæ modestas lacrymæ irrorant genas ;
 Vel Benjaminum reliqua si fontem gravent,
 Satis ista culpa vindicant : puerum inspice ;
 Talesne vultus pravitas unquam induit ?

R A M E S S E S.

Quis ergo , fare , sceleris admissi reus ;
 Si Benjaminum concium facti negas ?
 Fratrumne latitat alius in turba nocens ,
 Suum periclo Fratris occultans nefas ?

J U D A S.

Tam turpe facinus , credis , in Fratres cadat ;
 Aut affatim Proregis impensus favor
 Exciderit animo ? potius ah ! tecum æstima ,
 Quam non avaræ mentis incurvant notam ;
 Qui ne solutum pro cibis pretium ambigant ,
 Jam duplicatam sponte mercedem ferunt.

R U B E N U S.

Quid inane , Frater , diluis frustra scelus ?
 Si Benjaminus crimine absolvi nequit ,
 Vir magne : nos & pariter absolvi piget.
 Nihil morantur ; quidquid in puerum paras ,
 Refunde in omnes : nemo reus est , aut reum
 Si quem æstimasti , nemo jam culpa vacat.

BENJAMINUS.

O Frater ! o amor ! ista te inflectant cave.
 Vox hæc amantis scilicet , jubet hoc loqui
 Fraterna pietas. Haud ego sum equidem nocens
 Cœlum hoc, Deumque fraudis ultorem impiæ
 Testor : sed in me quando fors cecidit mala
 Vel immerentem ; quidquid immittit, asperum
 Atroxque secum traxerit , totum hoc feram.
 Hoc finite Fratres : forsitan ultrices Deus
 Pœnas reposcit ; morte dum merita cadam ,
 Mitescet ira numinis , ponet furor ,
 Vestroque dira capite depellam mala.

RUBENUS.

Meliora loquere : fata quæcumque incident
 Tecum feremus , Frater ; hoc saltem annuas
 Vir magne ; & istam , nulla si superest salus ,
 Ne ferre pigeat rebus in miseriis opem.

RAMESIS.

Me vestra pietas , vester incendit dolor ;
 Proregem adibo , credite : & si quid preces ,
 Si quid valebit gratia impendam. Interim
 Tu sequere.*

*Ad Benjaminum.

R U B E N U S.

Nostras itane miseraris vices ?

B E N J A M I N U S.

Valete : vitæ ponet hic finem dies ,
At non amori.

S C E N A T E R T I A.

R U B E N U S , J U D A S , S I M E O N .

J U D A S .

Fata quo miseros agunt ,
Fratres , quid ultra plecit immeritos Deus ?

S I M E O N .

Quid loqueris ? ah ! ne vindicem irrites Deum ;
Quem sic lacefsis. Potius hoc tecum exige :
Ut ista meritos , Frater , exagitant mala :
Quos efferatas vertere in Fratrem manus
Non puduit. Etsi lensus in pœnas Deus
Quandoque , nunquam justa deseruit tamen
Ultio nocentes.

R U B E N U S .

Quidquid adversum incidit ,
Quodcumque patimur , verus interpres nimis

Prædixi, iniquis quando flectique impotens
 Vos innocentem raperet in puerum furor.
 Ipse execrandi sceleris ultorem Deum
 Testatus, iras vincere incassum, & fera
 Humili domare corda tentavi prece.
 Heu! dum jaceret ad pedes nostros puer
 Josephus, imbre plurimo irrorans genas
 Tristesque casus deprecans: ah! ne pias
 Maculate, dixi, cæde fraterna manus!
 Frustra omnia: preces, lacrymas, gemitus, minas,
 Et vota, duri, ferrei, intractabiles
 Sprevistis. En jam manibus è nostris Deus
 Fratrem requirit!

J U D A S.

Sentio, agnosco, pudet;
 Frater, pigetque. Cæca quo nos impulit
 Invidia!

R U B E N U S.

Sed dum querimur, ærata interim
 Jam forte puerum vincula immeritum premunt,
 Jam mors paratur dira.

S I M E O N.

Cur animum abjicis,

Rübene ? nondum penitus absumpta est salus ,
 Ut refis ; alias spes mihi Prorex facit.
 Nil ominare tristius ; novi indolem
 Expertus ipse frater. Ah ! quoties Viri
 Amicam in ipsis vinculis sensi manum !
 Eamus ergo : stemus abjecti ad pedes
 Suppliciter ; aure non preces surda audiet,

JUDAS.

Dilecte Simeon , sponte , quod impellis , sequor ;
 Eamus.

RUBENUS.

O si facere placatum hunc Deus
 Placatus ipse vellet !

JUDAS.

En Prorex subit ,

Fratres ,

SIMEON.

Ruamus obviam .

RUBENUS.

I , Simeon , præi ,

S C E N A Q U A R T A.

**JOSEPHUS, AMASIS, RUBENUS,
JUDAS, SIMEON.**

SIMEON.

MAgnanime Prorex

JOSEPHUS.

Nam quid etiamnum volunt ?

'Aut quid morantes video? Num cautum est satis
Amasi , imperatas secum ut efferrent dapes ?
Eloquere.

AMASIS.

Nullam fecimus jussis moram ;
Vir magne , nec quid deesse jam possit , scio.
Ast impotentem gentis invisa sitim
Non Pharia , totas si dabit tellus opes ,
Exsatiet.

SIMEON.

Ah ! nil querimur : impensus favor
Meritum omne super ; at ...

JOSEPHUS.

Ergo quid retinet ? Lares

Repetite patrios, solvite Aegyptum metu,
SIMEON.

Utinam liceret!

JOSPHUS.

Quid moræ est?

SIMEON.

In vinculis,

Heu! Frater est!

JOSPHUS.

Cur, Amasi?

AMASIS.

Compertum nihil;

Generose Prorex.

JOSPHUS.

Quid sit, ut norim, edite.

SIMEON.

Jam mœnia urbis ultima emensus procul,
Votique per te compos, & te unum insonans,
Sese paternam quisque referebat domum.

Cum subito ab urbe miles armatus ruit:

Jussisque celeres premiere confessim gradus,
Abominandi dedecus furti exprobrat.

Constitimus: & dum nullus objectum nefas

Veretur, ultro singuli saccum explicant.
At ecce, dolus hostilis, an casus fuit.....,

J O S E P H U S.

Absolve.

S I M E O N.

Parce: vocem præcludit dolor.

A M A S I S.

Ut eruditâ fraude dissimulant scelus!

Effare.

S I M E O N.

Furti nulla suspicio incidat:

Minimi auguralem saccus expromxit scyphum.

A M A S I S.

Sic merita pensat nostra malefidum genus;

Suspecta falso gentis ingratæ fides?

J O S E P H U S.

Quisquamne Fratrum particeps facti fuit?

J U D A S.

O qui tremenda fontium in pœnas manu,

Jaculatur alto fulmen è cœlo Deus,

Invisâ feriat capita: vel pandens sinum,

Tellus sub umbras obruat, si quid.....,

JOSEPH,

47
J O S E P H U S.

Bene est :

A b i t e , n i l v o s t e n e o :

R U B E N U S .

Nec pariter nocens
Est ipse Benjaminus.

A M A S I S .

O frontem æream
Et pervicacem ! vel reluctantes scelus
Fatentur , & se conscius facti negant !

S I M E O N .

Sic est tamen : per quidquid in cœlo plumi est ;
Sanctumque , testor. Genibus affusos vide ,
Miscrescet : te , te gentis afflictæ dolor
Lacrymæq; moveant : perdere unum non potes ,
Ni tota eodem concidat fato domus .

J O S E P H U S .

Quid fonte distet innocens , notum brevi
Palamque dabitur : interim monitos volo ;
His si morantes rursus inveniam locis ,
Debita nocenti poena vos pariter manet .

Ereditator

S I M E O N .

A h ! patere

D

*SCENA QUINTA.***RUBENUS, JUDAS, SIMEON.****JUDAS.**

Viden' ut fugit ! Hanc spem tu dabus ?
 Sic flectitur?

SIMEON.

Ne, Frater, incuses Virum :
 Evidem benignam vix ego agnovi in dolem.
 Sed usitatam, crede, pietatem asperat ;
 Rigidosque mores numen iratum facit.

JUDAS.

At inde, Fratres, pellimur, nec jam vacat
 Ultra immorari : dicite, hoc rerum statu,
 Quid agere porro deceat ? an gnati asperum
 Casum Patri feremus ?

RUBENUS.

Ah ! miserum obruet
 Luctus parentem ! nam quot in lacrymas iit,
 Cum Benjaminum plurima victus prece,
 Suos amores, traderet Fratrum in manus ?

Heu ! dura jam tum viſus infelix ſenex
Timere nato funera.

SIMEON.

Et patriū audēas

Subire vultum , Frater ? aut ſperas notam
Vitare facti , dum caret nato pater ?
Dilecte Juda , ſcelere cum noſtro perit
Josephus olim , credulo illufum eſt Patri.
Jam Benjaminus fraude cum aliena occidit ;
Vel innocentes cauſa dicemur necis.

JUDAS.

Certam parenti veritas faciet fidem :

SIMEON.

Nullam parentis luctus admittet fidem.

JUDAS.

Saltem probabit omnium iſfontes dolor.

SIMEON.

Unius ager arguet fontes dolor.

RUBENUS.

Et Benjaminus interim mortem oppetet
Desertus , indefensus ? Hoc Fratres ferant ?
Non ſi cruentæ mortis incutiat metus
Prorex ; & in me totus exundet furor ;

D ij

Tamen hinc revellar.

JUDAS.

Fratris hoc staret salus ;

Rubene ! lucis non ego tantum appetens ;
Aut emori tam grande crediderim malum.
Sed quid juvabit ? credis , hoc pueri caput.
Servare pretio liceat ?

RUBENUS.

At saltē emotē

Dabitur.

JUDAS.

Nihil repugno , te Frater , sequar ;
Quemcumque tandem memet in casum trahis.

SIMEON.

Nec reliqua Fratrum turba consilium improbet.

RUBENUS.

Adeamus illos , Frater.

JUDAS.

O utinam crux

Fundendus ultro crimen antiquum expiet ;
Nobisque , vel dum plectit , ignoscat Deus !

Finis Actus tertii.



ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

J O S E P H U S , R A M E S S E S .

J O S E P H U S .

QUO res loco sunt ? Ecquid auditum refers ?
Quis fervet aula rumor ? an motus graves
Furti per urbem fama vulgati ciet ?

R A M E S S E S .

Silere potius liceat aeternum : piget
Narrare , quales usque meritorum immemor ,
Et quam simistros Aula rumores serat .

J O S E P H U S .

Age imo : quidquid noris , actutum doce :
Non imparatum pectus invenient mala .

R A M E S S E S .

Nihil morarum est : effera me invitus licet :

Quæ timida nunquam lingua voluisset loqui.
 Pars te occupatum gentis infidæ dolo
 Conquesta , segnes providæ mentis moras
 Incusat ; alii patriam insidiis peti
 Clamant , & hosti liberam inquire viam.
 Alii malignos arte simulantes metus
 Phario parari dicitant cladem solo ;
 Fraudisque vel te concium arcanæ , palam
 Impune jactant.

J O S E P H U S.

Credulas nam quo metus ,
 Livorque mentes adigit !

R A M E S S E S.

Has turbas movere
 Tacitasque subdit Amasis odiorum faces.

J O S E P H U S.

Comperta loqueris : jam virti nota indoles ,
 Scio quo feratur. Sed age qua demum putat ,
 Quotquot seruntur , Pharao rumores fide ?

R A M E S S E S.

Didicisse nondum id licuit: at certum hoc habet
 Quod rerum in isto cardine , oblitus sui
 Nusquam quiescet Amasis ; ac lentas nimis

Si Regis iras sentiat , populi metus
Obtrudet.

JOSEPHUS.

Ecquid nostra pensantem male
Officia , gentem iniquam & invisa mōror ?

RAMSES.

Injusta , Prorex odia , livorem & metum
Verbo vel uno premere , si lubeat , potes.

JOSEPHUS.

Ut Gentis , hujus indolem nosti parum ,
Amice ! fac me Patriam & genus & domum
Retegere tandem : tu novos , credis , metus
Numerosa Fratrum turba non faceret ? Tamen
Aliter probari dubia nisi regi fides ,
Nisi amoveri capite fraterno queat
Instans periculum ; quidquid occultum latet ,
Reserabo . Melius cuncta dum sc̄e explicit ;
De Benjamino , fare , quæ nosti , precor .
Agedum , sinistra fortis adversæ vices
Quo ferre vultu visus infelix puer ?

RAMSES.

Ingemuit equidem , s̄æpe contestans Polum ,
Animumque diro criminē obstrictum negans ,

Sed cura Fratrum gravior afflictum obruit ;
 Dum quisque luctu perditus tristem obstinat
 Sortem occupare Fratris. Hinc miserum metus
 Examinitat, inde stimulat impatiens amor.
 Ac, si patentem nactus huc aditum foret ;
 Hunc causa Fratrum supplicem dudum ad pedes
 Egisset.

B E N J A M I N U S.

Poët Siparissus.

Ah ! dum morior, extremum, obsecro,
 Proregis ante genua ut amplectar, date.

R A M E S S E S.

Vox Benjamini est, sentio; admitti petit.

J O S E P H U S.

Quid agam, Ramesse ? quo ferar ? tales putas
 Perferre vultus ut queam ? injussæ fluent
 Prudentque memet lacrymæ ! Abrahamidum
 Deus !

Retegeret sensus donec arcanos juvet,
 Animum labantem sustine, & placitum preme
 Latebris amorem.

SCENA

SCENA SECUNDA.

JOSEPHUS,
RAMESSES, BENJAMINUS.

BENJAMINUS.

Quæ genas lacrymæ irrigant;
 Magnanime Prorex, quasque suppliciter tuis
 Genibus volutans, fundo sollicitas preces;
 Parata misero fata, sortemve ultimam
 Nil deprecantur. Ac licet cœlo unicus,
 Quem veneror, & qui pectoris latebras videt;
 Me scelere ab omni norit expertem Deus;
 Tamen nihil recuso: quamcumque irroges
 Pœnam innocentis, quodlibet lethi genus,
 Ultrœ ac volens subibo; nil in me est moræ.
 At criminis quos nulla perstringit nota,
 Cur pœna Fratres similis insontes premat?
 Permitte patrium regredi incolumes solum.

JOSEPHUS.

Nam quis moratur?

E

BENJAMINUS.

Retinet infelix amor,

Fratriisque miseri casus.

JOSEPHUS.

Et nostra interim

Gens perduellis exequi imperia abnuat

Impune? meritis pœna par cunctos manet.

BENJAMINUS.

Ah! parce; veniae si quis est usquam locus,

Merucre, sola quos facit pietas reos.

JOSEPHUS.

*Ad Ra-
messem.* I*, contumaces siste quamprimum : veto
Ab urbe nequis efferat deinceps pedem.

BENJAMINUS.

Si quam irrogare fratribus pœnam voles,
Abitum minare ; summa votorum omnibus;
Quascumque tandem rigidus intentes minas,
Perstare.

RAMSES.*

Fratrum flebilem turbam vides.

BENJAMINUS.

Heu me!

*J. G. P.
Fratre
inuenit.*

SCENA TERTIA.

JOSEPHUS, RAMESSES,
BENJAMINUS,
JUDAS, RUBENUS, SIMEON;

JOSEPHUS.

Molestas rursus h̄ic agitis moras;
Post jussa, post imperia?

RUBENUS.

Quod liceat, jube;
Generose Prorex; te penes vitæ ac necis
Jus omne; flammæ, vulnera, & diras mali
Doloris artes, quemlibet mortis gradum
Propone. Quidquid corpore in nostro micat
Cruoris, ultro dabimus: at patrios lares
Repetere, Fratrem vinclâ dum insontem gra-
vant;

Dum mucro forte barbarus jugulo imminet;
Ignoſce, cauſa haec una ſi jufſis facit
Minus obſequentes.

E ij

B E N J A M I N U S.

Cur meos etiam asperas,

Rubene, luctus? Unus in pœnas satis,
 Ego sum: cruoris unus explebo sitem.
 Cur triste frustra tota gens fatum luat?
 Miseresce, Prorex; impotens amor & dolor
 Vesana cunctis cardine hoc rerum ingerunt
 Consilia.

J O S E P H U S.

Meritas, ite, si noxæ piget;
 Remitto pœnas: solus hic furti reus
 Totum expiabit ipse, quod fecit, nefas.
 At abite celeres, jubeo: ni Memphi procul;
 Vesper cadentem quando componet diem;
 Vos occuparit, nil moror; qualem decer,
 In pertinaces statuo pœnatum modum.
 Cessatis?

J U D A S.

Ergo Frater addatur comes;
 Finesque redeat sospes ad patrios sine.

J O S E P H U S.

Non patiar.

J U D A S.

Ergo ne, precor; redditum impera.

J O S E P H U S.

Abscedite, iterum jubeo; ne quicquam moras
Trahitis inanes.

J U D A S.

Nam quid obsequium exigis,
Quod non valemus exequi? Heu! nostras Patres
Cum te jubente traderet Fratrem in manus;
Simul obligavit jure jurando fidem,
Ne quis paternæ limen attingat domus;
Nisi senectæ dulce solamen suæ
Puerum reducat. Jam quis aspectum Patris
Subire, vel quis ruere in amplexum audeat,
Dum Benjamini flebilem casum afferet?

● B E N J A M I N U S.

Ite, ite, Fratres; ponite injustos metus;
Vos quando reduces cernet & salvos parens,
Nostram æquius, sperate, jacturam feret.

R U B E N U S.

Te perditum, inquis, genitor ut patiens ferat
Suos amores? Nempe jam menti excidit,
Quot ille gemitus, quot dedit lacrymas; sicut
E. iij

Cum tu implicatus intimo , & collo super
 Affusus , inter oscula , heu ! fati inscius
 Et dices extremum & exciperes vale ?
 Quin & parentis repete sermonem memor ,
 Quem rupta multo lingua singultu dabat.
 Tibi læta , Nata , cuncta perficiat Deus !
 At si , quod absit , rigidus alienis manet
 Te casus oris , tumulus excipiet Patrem.

B E N J A M I N U S .

Rubene , miseræ sobolis infelix parens
 Si fortè doleat fata , solamen feres:
 Tuique nostrum liberi implebunt locum.

R U B E N U S .

Si moreris , heu ! quid liberis fiet meis :
 Quos ipse retinet obsides pro te Pater ?
 Ah ! ni redis , periere.

J U D A S .

Quid vitam mōror

Et ipse , cuius debitum morti caput ,
 Nisi sospitem te reddam & incolumem patri ?

S I M E O N .

Quodcumque miseris mortis intentes genus ,
 Optanda veniet : nam quis afflicti senis

Iram , querelas , probra , luctus & necem]
Oculis tueri possit ?

J O S E P H U S *Apote.*

O Fratrum bene

Mutata demum pectora !

S I M E O N.

An pueri vices,

Prorex verende , nullus è tot Fratribus
Subire per te possit ? Hæ dudum manus
Niliaca ferre vincla didicere ; hoc caput,
Cervixque Phario deprimi assuevit jugo.
Me redde latebris : quidquid est vitæ super ,
Totum hoc profundo carcere abstrusus traham :
Vel si crux decuit aboleri nefas ,
Est hîc crux , per mille qui plagassar.

R U B E N U S.

Eadem precamur singuli : quotquot sumus
Se quisque cadere victimam in lucro putet.

J O S E P H U S *Apote.*

Quid video ? vigila anime ? quo Fratres am
Olim furentes Fratris in vitam , rapis ?
Trepidare pectus sentio.

R U B E N U S.

Ergo unum elige;

Qui vincere iras sanguine effuso queat.

J O S E P H U S aparte.

Heu ! quanta patior !

J U D A S.

Una ni satis est neci

Mactanda , Prorex , victima ; en se multiplex

Tibi sistit ultro : quam voles , mortem irroga ;

Nihil queremur ; certa dum Fratri hinc salus

Veniat , & a vo vivat extento parens.

B E N J A M I N U S.

Proh ! sancta pietas ! forte me dignum aspera !

Mea fata meritum , mortis injustæ forem

Si causa , vel si præmium ! Indignas preces ,

Magnanime Prorex , abjice : hic melius crux

Tibi litabit. Tuque fatorum arbiter ,

Casus in istos qui vocas meme , ô Deus !

Vel immerentem plecte , si placitum est ; nihil

Reculo : dum fors illa quæmiserum opprimet ,

Eadem innocentes ne simul Fratres premat.

SCENA QUARTA.

JOSEPHUS, AMASIS,
RAMESSES, RUBENUS,
JUDAS, SIMEON, BENJAMINUS.

AMASIS.

DElatam ad aures Principis, Prorex, fero
Causam nocentum: plura scruteris vetat,
Futurus ipse cognitor facti.

JOSEPHUS.

Bene est.

Regi obsequemur, Amasi.

SCENA QUINTA.

JOSEPHUS, RAMESSES,
RUBENUS,
JUDAS, SIMEON.

RUBENUS.

Ne lapsis operi

Afferre pigeat rebus: afflictam domum
Tutare, Prorex.

Arcere duram Fratribus multa prece
Sortem obstinaret.

JOSEPHUS.

Sed age , num reliquos parum
Dignos amari credis ? aut nil tē movet
Amica Fratrum pugna ; dum quisque invicem
Pro Benjamino devovet letho caput ?
Ah! vetera talis odia nil animus sapit !
Posuere mores efferi , invidiæ lues
Abscessit omnis. Vincor ; affectu pati
Trahitur in omnes animus , & latebris amor
Prodire gestit.

RAMESSES.

Igitur arcanos paras
Vulgare casus ?

JOSEPHUS.

Sic ratum est : ultra piget
Simulare. Rerum pandet hic seriem dies :
Ac si vel isto , quo fui elatus , gradu
Fuerit cadendum : Principi dubiam fidem
Probabo : tristes capite fraterno minas
Avertam , & ipsi , post tot adversas vices ,
Aliquid amori dabimus.

R A M E S S E S.

Hæc utinam Deus-


Cumulet ab alto vota!

J O S E P H U S.

Tu mundi sator,

Hominumque, solo fata qui nutu regis ;
 Si quam recludis me duce Isacidis viam
 Terras in istas ; oro, qua cœptum est, opus
 Absolve : placidus Pharaon Josephum audiat ;
 Ultroque nostrum excipiat Ægypto genus.

Finis Actus quarti.



ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

PHARAO, AMASIS,
MILITES.

PHARAO.

OMitte plura persequi : hortatu nihil
Indigeo : Pharii lætior facies soli ,
Florensque rerum copia (effætis seges
Dum late in agris moritur , & victum negat)
Quot fuscitarit æmulos , novi satis.
At jam peregi cuncta mecum animo prius ;
Secura nequid pacis optatae otia
Turbare deinceps possit.

AMASIS.

Æternum tibi
Hac mente firmas sceptræ: quam primum malo
Occurre : tarda saepè post longas venit
Moras medela.

P H A R A O.

Ne time : infidum genus

Si machinatum noverim hostiles dolos ,
Per sceptra juro , quas decet , pœnas dabit.

A M A S I S.

Nec ista vanos causa prætendit metus ;
Syria quod illis patria : jam Gazam Syri
Tencent , & Ascalona : jam tumidum feris
Victoribus subjicit Azotum caput :
Et , quidquid usquam littori Isiaco adjacet ,
Servire didicit. Ne brevi Ægypto ingruant ,
Inviuste Princeps , consule.

P H A R A O.

An vinctos habet

Cancer nocentes ?

A M A S I S.

Iste Josephum labor
Spectavit.

P H A R A O.

Hoc tu vise , & actutum refer :
Tecumque ut adsit , Amasi , Josephus , mone.

A M A S I S.

Rursum imminentem , si potest , cladem reis
Avertet.

P H A R A O,

Hunc si sensero admissum nefas
Fovisse, & ipse vindicem agnoscer manum,

S C E N A S E C U N D A.

P H A R A O.

M I L I T E S

Quo suspicaces credulum in præceps metus
Animum voluntant? Ergo Josephum abjicis,
Dubioque præstas temerè rumori fidem?
Ten' lætioris, Pharao, jam fati piget?
Nam cujus ille sceleris arguirur reus?
Gentem tueri perfidam, hostilem, impiam;
Nostrisque regnis fortè meditantem dolos
Jactatur. At, qui testis? Amasis scilicet;
Quem livor urget tacitus, atque odium im-
potens

Exstimulat. Animo finge nil Amasis malo
Peccarit; ipse numquid inflictum satis,
Præsente te, probante, dissolvit probrum
Josephus? Atenim quid loquor? tetur nefas
Dissolvit? agedum, quomodo tandem? scelus
Elusit, at non diluit: verbis dataam

P H A R A O.

Ne time ; infidum genus

Si machinatum noverim hostiles dolos ,
Per sceptra juro , quas decet , pœnas dabit.

A M A S I S,

Nec ista vanos causa prætendit metus ;
Syria quod illis pattia : jam Gazam Syri
Tenent , & Ascalona : jam tumidum feris
Victoribus subjicit Azotum caput :
Et , quidquid usquam littori Isiaco adjacet ,
Servire didicit. Ne brevi Ægypto ingruant ,
Invictæ Princeps , consulc.

P H A R A O.

An vincitos habet

Cancer nocentes ?

A M A S I S.

Iste Josephum labor
Spectavit.

P H A R A O.

Hoc tu visce , & actutum refer :
Tecumque ut adsit , Amasi , Josephus , mone.

A M A S I S.

Rursum imminentem , si potest , cladem reis
Avertet.

P H A R A O,

Hunc si sensero admissum nefas
Fovisse, & ipse vindicem agnosceret manum,

S C E N A S E C U N D A.

P H A R A O.

M I L I T E S

Quo suspicaces credulum in præcepis metus
Animum volunt? Ergo Josephum abjicis,
Dubioque præstas temerè rumori fidem?
Ten' lætioris, Pharao, jam fati piget?
Nam cujus ille sceleris arguirur reus?
Gentem tueri perfidam, hostilem, impiam,
Nostrisque regnis fortè meditantem dolos
Jaçtatur. At, qui testis? Amasis scilicet;
Quem livor urget tacitus, atque odium im-
potens

Exstimulat. Animo finge nil Amasis malo
Peccarit; ipse numquid inflictum satis,
Præsentte te, probante, dissolvit probrum
Josephus? Atenim quid loquor? tetur nefas
Dissolvit? agedum, quomodo tandem? scelus
Elusit, at non diluit: verbis dataim

Extorsit astu plurimo , haud fecit fidem.

Quid statuis anime? Absolvis, an damnas reum?

*Iosephum
intuens.* En ipse * : viden' ut multa meditatus subit,
Tacitaque volvit mente ! scrutemur virum.

S C E N A T E R T I A.

PHARAO , JOSEPHUS , AMASIS.

M I L I T E S .

P H A R A O.

P Eregrina inanes turba faciebat metus ?
Sic luderis , J o s e p h e ; sic gentem malam
Dum protegis , fovesque , Niliacam interim
Impune fraudi pandis hostili plagam.

J O S E P H U S.

Quisquamne miseram perfidi sontem doli
Gentem revincit ? Numquod imperio nefas
Molita , cladem strucere & exitium parat ?

P H A R A O.

Armatus hostis nempe nisi Memphim irruat ,
Ferrumque & ignes portet ; Ægypto nihil
Credis timendum. ? regiam expilent domum ;
Furtimque raptas auferant gazas , leve cst.

Medio

Medio superbae prodeant gentis sinu,
Quam fata regni prospera incendunt, leve est.

J O S E P H U S.

Etiam sua illos Patria suspectos facit,
Invicite Princeps?

P H A R A O.

Tun' Syro innatos solo
Nescis? Et isto nomine exoscos mihi
Regnisque?

J O S E P H U S.

Vidit Syria nascentes quidem,
Fateor: at illis nec Syrum tamen est genus,
Nec fœdus ullum gente cum tali fuit,
Affinitasve. Sanguine Abrahami satos
Novi nepotes: ille cognatam domum,
Ultroque fines deferens patrios, Deo
Jubente; sedes querere externas novus
Properavit exful, & Syri patrem soli,
Deserta Chanaan, proprios fecit larcis.

P H A R A O.

Quid esse dicam? vel quid incertus loquar,
Josephe? Notam, sentio, gentem hanc satis;
Sed unde noris non liquet. Tibi jam imputa,

Si tam sinistros Aula rumores serat;
Dum quos deceret plectere, imprudens fove.

J O S E P H U S.

Plecti innocentes æquitas, Princeps, vetat.

P H A R A O.

Plecti nocentes Imperî leges jubent.

J O S E P H U S.

Nequeunt nocentes esse, qui culpa vacant.

P H A R A O.

Suspecta populis non vacat culpa fides.

J O S E P H U S.

Eximere vitio, cum voles, possum fidem.

P H A R A O.

Loquere ergo.

J O S E P H U S.

Prius at, oro, semoti arbitri,
Paulum relinquant liberam fundi viam.

P H A R A O.

Abscede Miles; Amasi, tantisper loco
Decede, jam te revoco.

S C E N A Q U A R T A.

P H A R A O , J O S E P H U S .

J O S E P H U S .

Ne solum argue ,

Invictus Princeps : Gentis externæ domum
 Patriamque , casus , facta , stirpemque ultimam
 Si nosse videor ; commodam vel si manum
 Miseris tetendi : nil tibi quidquam , aut tuis
 Hinc metue regnis ; esse quos hostes putas ,
 Fratres mei sunt.

P H A R A O .

Quas mihi ambages canis ?

J O S E P H U S .

Ignoscet : vera loquimur : ambagis nihil.
 Dum tegere clauso licuit arcanum sinu ,
 Silui : sillerem nunc quoque , & tenebris adhuc
 Premerem sub altis fortis ambiguas vices ,
 Tristesque casus ; sineret in dubium fides
 Vocata , populi rumor , Ægypti quies ,
 Salus meorum.

F ij

P H A R A O.

Dissitas quis te in plagas
Josephe , casus egit , & patrios lares
 Coëgit unum linquere ?

J O S E P H U S.

Eheu ! quid rogas ?
 Meminisse refugit animus : etiamnum, precor,
 Silere liceat.

P H A R A O.

Quidquid est , his auribus
 Committe : fido pectore arcana oculam.

J O S E P H U S.

Ah ! ne ista , fortè quæ loquar , placidum as-
 perent !

P H A R A O.

Confide.

J O S E P H U S.

Puerum blandius quondam Pater
 Amabat : & me sive spem præter , seni
 Quod obtigissem , sive quod nupræ recens ,
 Primumque amatæ conjugis pignus forem ,
 Sæpe inter ulnas & suo affalsum fmu-
 Bonus fovebat. Hinc mihi primum extitit

Caput malorum : hinc livor , hinc odium im-
potens

Fraterna stimulans pectora in me commovet.

Accepta deinde somnia in pejus , Deo
Monstrante visa , dum puer narro, actius
Odia incitarunt : perieram ; & naucti avium ,
Me destinabant impiæ Fratres neci.

Tamen misertum est : & pudor nondum bene
Extinctus omnis tenuit armatas manus.

P H A R A O.

Tantusne Fratrum corda præcipitet furor !

J O S E P H U S.

Utinam hic quiesset !

P H A R A O.

Nam quod ulterius nefas

Supereft inausum ?

J O S E P H U S.

Forte , quâ propior fuit ,

Merces agebant Ismaëlitæ via.

Morimulla , tales, vile mancipium, in manus
Traditus , ad istas appuli demum plagas:
Hic me coemptum Putifar , obsequio brevi
Contentus , ultra flebili exemit jugo.

Ast impudicæ conjugis captus dolis
 Vinctum tenebat carcere : hinc per te erutus
 Meliora sensi fata.

PHARAO.

Proh ! rerum vices !

Vitæ innocentis tutor est certè Deus ,
 Idemque vindex sceleris , agnosco !

JOSÉPHUS.

Interim

Urgere sterilem cœperat Chanaam famæ :
 Alimenta Fratres mittit empturos Pater.
 Primum ut videre licuit , agnovi statim ,
 Non agnitus tamen ipse: mox simulans metum ,
 Seu suspicarer aliquid hostilis doli ,
 Excutere cœpi plurima : hinc patrem audio
 Adhuc valentem vivere ; uterinum domi
 Natum esse fratrem. Pectus inflexit puer :
 Vultus tueri placuit : accitur , venit ,
 Mihi que coram sistitur. Vidi : jat satis
 Non fuit amanti ; jussit indulgens amor ,
 Ut innocentes nepterem abeunti moras :
 Ac , ne qua forte causa deficeret ; Scyphus ,
 Scyphus ille , deinceps tot querelarum caput ,

Summo puelli sacculo furtim abditus.

P H A R A O.

Bene est : amanti gratulor : Fratrem hunc tibi
Josephe , habebis : cæteri pœnas luent.

J O S E P H U S.

Nam quas ? Dolumne rursus hostilem times ?

P H A R A O.

Quas fratricidis deboe : ultricem manum
Crimen nefandum poscit ; ultioris vices
Implebo.

J O S E P H U S.

Potuis ah ! precor , tecum id puta ;
Quod ille , cuius numen est cælo , Deus ;
Fratum per isthæc odia consultum tuæ ,
Voluit saluti :

P H A R A O.

Quisquis est tandem hic Deus ;
Josephe , meriti gratiam impensi feret ,
Pœnam nocertum.

J O S E P H U S.

Pœna quam iratus paras ;
Etiam innocentes obruet : non omnium est
Hæc culpa ; sunt, quos noster inflexit dolor ;

Quod vivo; fratum munus est; vitam dedit
Fraterna pietas.

P H A R A O.

Igitur infontes mihi
Nocentibus distingue.

J O S E P H U S.

Men' Fratrem, putas,
Id posse? grati pignus hoc animi feram
Natus parenti: sobolem ut excisam audiat,
Præsente me, volente; dum nostras adhuc
Luget tot annos, fortis ignarus, vices?
Da, da perennes potius afflerti senis
Siccare lacrymas: gaudeat natis pater
Per me receptis; si quid obsequio potest
Meruisse; te Josephus hoc unum rogat.

P H A R A O.

O! dignum amoris specimen! Huc Amasis
gradum.

Acceleret.

SCENA

SCENA QUINTA.

P H A R A O , J O S E P H U S , A M A S I S

M I L I T E S

A M A S I S.

Adsum.

P H A R A O .

Quid velim , jam jam scies.
 Paullum opperire. Miles , i , gentem exteram
 Suis catenis solve , totamque ocyus
 Huc siste turbam. Sunt tui ; Fratres habe ,
 Josephe , post tot fortis ærumnas graves
 Fruere receptis.

*A M A S I S. *A parte.**

Nam quod attonitas ferit;

Mihi fulmen aures !

J O S E P H U S.

Patere munificam ut manum
Amplexar.

P H A R A O .

Hic est , Amasi , & Ægypto & mihi
 G,

Hospes timendus? Imperi hostes hic fovet?
 Quo te impotens invidia, quo cæcus furor
 Rapuere? Numquid inclito tales viro
 Inferre labem puduit? Ulciscar probnum,
 Iosephe. Procul hinc vile, despectum caput
 Rape ad necem, Satelles.

A M A S I S *Suplex ad Iosephi gentem.*

Ah! parce, obsecro,
 Prorex verende, genibus affusum yides;
 Miseresce.

J O S E P H U S *Ad Phersonem.*

Nequis, oro, tam latam diem
 Letho cruentet; gratia hunc cumulum peto,
 Ignosce.

P H A R A O *Ad Iosephum.*

Tibi sic cuncta pietatem occinunt.

**ad A.* Agnosce* vitæ munus, & grates habe;
magis. Vives.

A M A S I S.

Dies me nullus immemorem arguet,

P H A R A O *Ad Iosephum.*

Tibi nunc tuorum dum frui amplexu licet,
 Unum vicissim, Rex peto,

75

J O S E P H U S.

Quod vis, jube.

P H A R A O.

Tibi, tuisque pāndit Ægyptus sinum,
Josephe: Fratres ergo, longævus pater,
Nati, nepotes, tota conveniat domus:
Partisque per te gaudeat mecum bonis.
Abscedo.

J O S E P H U S.

Quæ par gratia egregiis potest

Tot esse meritis?

S C E N A S E X T A.

J O S E P H U S.

Summa votorum attigi,
Ille, ille, qui me Fratribus deinceps meis,
Mihique Fratres reddat, illuxit dies.
O me beatum! vos ô irarum procul
Stimuli, catenæ, servitus, carcer, probrâ,
Et quas tot annos pertuli ærumnas, date,
Date locum amori! quid loquor? Tu me ô Deus!
Qui nosti, & imas pectoris latebras vides,

G ij

*Fratres
intuens.

Adesto testis, si qua stimulatum egerit
 Vindicta pectus! Quin age: amplexus juvat
 Demum in beatos ruere ... *Succedunt: tremor
 Quatit æger artus: obſtupent oculi solo
 Defixi, & ora tristis obnubit dolor.

S C E N A U L T I M A .

JOSEPHUS, RUBENUS, JUDAS,
 SIMEON, BENJAMINUS,
 LEVI, ISSACHAR, ZABULON,
 DAN, NEPHTALI, GAD, ASER.

J O S E P H U S.

SImulasse satis est: prodit impatiens amor,
 Et longiores rumpit exosus moras.

Josephus ego sum..... Mentis abscedat stupor:
 Nil fingo: Fratrem cernitis: fratrem bene
 Consperfa lacrymis ora, si taceam, probent.
 Adeste, Fratres; nostra nunc se se explicent,
 Tam longa post exilia, & ambiguas vices,
 Concessa tandem gaudia.

77
R U B E N U S.

Eheu !

B E N J A M I N U S.

Frater est ;

Josephus ?

J U D A S.

Ubi sum ?

S I M E O N.

Si quod est fulmen Polo ,

Feriat nocentes !

L E V I .

Lucis invi'x piget !

I S S A C H A R .

Occidimus !

Z A B U L O N .

Actum est !

D A N .

Meruimus !

N E P H T A L I .

Cur non prius

Licuit petire ?

G A D .

Cur nec insontes licet ?

G iij

A S E R.

Mors , causa mortis absit , in pretio foret .

J O S E P H U S .

Unde ille gemitus , ista quem , Fratres , petunt
Lamenta ?

J U D A S .

Fratres impios , nefarios ,
Abominandos , atque carnifices petunt .

R U B E N U S .

Ah ! perime cunctos ; quodlibet lethi genus
Statuisse placeat sontium in pœnas , pati
Graviora decuit .

J O S E P H U S .

Ergo metuendus super
Josephus ? Heu me ! Frater est : dulce ô nimis
Blandumque Fratris nomen ! injustos metus
Abjicite , luctu ponite & lacrymis modum .

S I M E O N .

Nam quæ cruentis copia clueret scelus ?

J O S E P H U S .

Doluit , abunde est : quidquid in Fratrem piget
Peccasse , mentis opus id æternæ fuit .
Ille , ille cœli rector , & mundi arbiter ,

Qui nostra nūtu fata moderatur Deus ;
 Per ista , queis me tandiu afflixit ; mala ,
 Vobis parabat certam in Ægyptum viam.
 Juvat paternio turpiter pulsū solo
 Errasse profugum : carcere in cœco juvat
 Traxisse vincla : niempe ni profugus forem
 Hodie feraci ditis Ægypti plaga
 Fratres carerent ! Nempe nisi vincitus forem ,
 Famulare collum subderent Fratres jugo !
 Dulces catenæ ! dulcis exilii labor ,
 Secura vobis unde contingit salus !
 Siletis ? aut nil lugubrem præter sonum
 Implebit aures ? Sed quid ulterius , precor ,
 Fratres , coire pectori pectus vetat ?
 Accedite . Ecquis osculum primus feret ?
 Tun' , Benjamine , Fratris amplexum fugis ?
 Præire ne te pigeat .

BENJAMINUS.

Ad sacros prius ,
 Generose Prorex , patere ut advolvat pedes .

JOSEPHUS.

Affurge , Fratrem amplectere , in pectus ruc ;
 G iiii

Melius amorem , Frater, hinc longum ebibes;
 Huc involate pariter, & collo manus
 Rubene, Juda, nectite ! ah ! nunquam excidet,
 Ambos ut in me senserim quondam pios.

R U B E N U S.

Quid vetera refricas vulnera ?

J U D A S.

Hoc voti caput ,
 Ob'iterari turpe si pateris nefas.

J O S E P H U S.

Tu , care Simeon , si quid in vinclis fuit
 Gravius ferendum , parce.

S I M E O N.

Felix ô nimis
 Hac sorte , Simeon ! alia meruissent manus
 Gestare vincla : quæ tuli , impatiens dabat
 Hæc amor.

J O S E P H U S.

Adeste nunc quoque ; Issachar , Levi
 Et vos , Zabulon , Nephtali , Gad , Dan ,
 Aser ,

Dilecta Fratrum capita ; sinceri hæc , precor ,

Vel levia amoris pignora , & fragiles notas
 Excipite ; vobis intimi cordis sinus
 Utinam paterent !

R U B E N U S.

Ergo sic te vindicas ;
 Dum te, tuosque vincis !

J U D A S.

Hoc pretio bonus
 Inimica pensas odia ?

J O S E P H U S.

Quid trahimus moras ?
 Ite , ite Fratres : perditum luctu patrem
 Læto beate nuncio : invalidum licet
 Adducite : illum tota comitetur domus ,
 Sterilisque Chanaan triste destituat solum.
 Ultro feracis copiam Ægypti facit ,
 Sedemque Pharaon propriam h̄ic vobis parat.
 Adeamus unà Regem & affusi ad pedes
 Grates feramus.

S I M E O N.

O amor !

J U D A S.

O felix dies !

BENJAMINUS.

O fospitalis !

RUBENUS.

O tuis semper Deus,
Cum plectis, & cum parcis, ex æquo bonus.

Finis Actus quinti.

Ex Typographia ANTONII LAMBIN.







